DE VERBORVM IAMBICORVM APVD PLAVTVM SYNALOEPHIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GVILELMVS LIEBEN
BEROLINENSIS

MARPVRGI CATTORVM A. MCMXV
TYPIS CHR. SCHAAF

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente T h e o d o r o B i r t probata est die nono mensis Decembris a. MCMXIV

Praeceptoribus

S.

Notae

quibus usus sum, sunt hae:

⁝ ad notandos hiatus

| ad caesuras signandas

‖ ad diaeresin denotandam

‡ ad personarum mutationes indicandas

* indicat vocem iambicam in thesi (i. e. Senkung) esse elisam.

In omnibus illis innumerabilibus fere libris commentationibusque, in quibus viri docti de arte metrica et prosodiaca scaenicorum veterum, imprimis utrum hiatus in fabulis Plautinis tolerandus esset necne, saepe admirabili sagacitate disseruerunt, data quidem occasione quaestio proposita est, quo modo voces iambicae in vocalem excidentes ante vocales vel h sese haberent, sed commentationem, qua haec res accuratius tractata sit, frustra quaesiveris. Quaenam esset ratio vocabulorum iambicorum in hexametris Lachmann primus ut opinor ostendit in illo clarissimo commentario, quem in Lucretium composuit[1]). Lachmanni autem auctoritate perducti viri docti nimis diu praecepta hoc loco data rata et fixa putaverunt. Sed cum ex observationibus denuo et exquisitius factis appareat voces iambicas in hexametris obvias leges a Lachmanno propositas non servare[2]), illius viri docti de eisdem verbis praecepta, quae ad versus iambicos et trochaicos eorumque similes spectant, nondum labefactata videntur esse. Animadvertisse se putavit Lachmann *nullum poetarum praeter veteres scaenicos vocabulorum iambicorum vocalem extremam cum brevi syllaba copulare; argumento* inquit *esse potest hiatus in hoc genere non infrequens. Quin ipse Plautus hoc modo hiare amat*[3]). De vocabulis

1) pag. 194 sqq.

2) vide:

L. Havet, Phaedri Augusti liberti fabulae Aesopiae. Paris. 1895, pag. 166 sqq.

E. Norden, Vergils Aeneis VI. L. 1903, pag. 450 sqq.

H. Mirgel, De synaloephis et caesuris in versu hexametro latino. Diss. Gott. 1910.

A. Siedow, De elisionis, aphaeresis, hiatus usu ... Diss. Gryph. 1911.

3) l. c. pag. 194.

autem iambicis ante longam syllabam positis praescripsit ille vir doctus: *communis poetarum tantum non omnium regula est, ne post vocabulum iambicum in vocalem desinens syllaba acuta ponatur nisi cum hiatu*[1]).

Haud inutile esse videtur auquirere, qua ratione eius modi vocabulis ante vocalem usi sint poetae scaenici. Nam quamquam tot viri docti fabulis Plautinis Terentianisque operam dederunt, tamen nemo ad hanc rem seorsum tractandam accessit. Neque enim libellus, quem Maurenbrecher de synaloepha se scripturum promiserat[2]), in lucem editus est, neque Leo, ut ceteros praetermittam, de hac re uberius disseruit[3]). In Terenti autem fabulas Moeller scripsit commentationem, in qua hanc quaestionem breviter perstrinxit[4]). Ille vir doctus observavit Terentium voces iambicas *non raro ante syllabam brevem corripuisse* et id quod gravius mihi videtur esse, nusquam vocabulum iambicum synaloephae subiectum inveniri *in prima thesis disyllabae sede.*

Sed dicat quispiam: nonne iam pridem Havet in Phaedri editione ostendit regulam Lachmanni esse falsam? Fateor illum virum doctum non assecutum esse, ut Lachmannum corrigeret, quamvis ne modestis quidem verbis exponere studuerit eum errasse. Nam ut Havetum ipsum in hexametris graviter peccasse viri docti Norden[5]), imprimis vero Birt[6]) dilucide docuerunt, ita quaeritur, num de synaloephis verborum iambicorum quae in senariis extant recte iudicaverit.

---

1) l. c. pag. 196.

2) B. Maurenbrecher, Hiatus und Verschleifung im alten Latein. L. 1899, pag. VII.

3) F. Leo, Plautinische Forschungen. 2. Bln. 1912, pag. 335. — Praeter Lachmanni regulam opinio Spengelii — A. Spengel, T. Maccius Plautus. Gott. 1865, pag. 204 — adhuc vigere videtur, qui vir haec docuit: Die zweisilbigen iambischen Wörter, inquit, bilden in der Arsis Hiatus mit dem folgenden Vokale und werden durch diesen verkürzt, so daß sie als Pyrrhichien gelten; z. B.: mĕĭ ¦ hŏnōris, tŭăm ¦ ămīcam. Die Quantität des darauf folgenden Vokales ist gleichgiltig.

4) Cl. Moeller, Quaestiones metricae de synaloephae .... ratione. Monast. Guestf. 1896, pag. 37, 42—45.

5) l. c. pag. 450 sqq.

6) Th. Birt, Mus. Rhen. LI 255 et Katalepton, Jugendverse und Heimatpoesie Vergils. L. 1910, pag. 23 sq.

In Phaedri fabulis ipsis non plus tres vel quattuor versus occurrunt, in quibus voces iambicae ut videtur elidantur, satis pauci quidem in 1945 senariis; versus autem sunt hi[1]):

III. 7. 15: veni ĕrgo mecum. Dum procedunt, aspicit
V. 9. 4: tace īnquit ante hoc novi, quam tu natus es.
app. XXI. 2: ave ĕxaudivit et moratus paululum
„ XXI. 10: ave ŭsque ingessit. Tum se lusum intellegens.

De his versibus Lucianus Mueller, ut ab hoc viro inter metricos clarissimo incipiam, sic disseruit: *in Phaedri,* inquit, *senariorum principiis tales formae licet non aequent pyrrhichium, tamen minus plene sonant iambo. Vides igitur poetas quos dixi alterum scaenicum — Senecam — alterum eius generis auctorem, quod proxime accedit usu dicendi ad sermonem cotidianum, accessisse in hac parte ad Plauti ac Terenti libertatem, quos quidem multo saepius iambicorum verborum exitum corripuisse constat*[2]). Equidem censeo cum Muellero Phaedrum in versibus pangendis data occasione cottidiana ratione dicendi usum tales formas usitatissimas quales *tace, veni* sim. non minus facile elidere potuisse quam pyrrhichiacas, quin etiam dubito, an eas pro veris pyrrhichiis usurpaverit, praesertim cum bis etiam imperativum *vide* corripuerit:

III. 6. 3: vide nē dolone collum conpungam tibi
app. 10. 14: vide nē querela maior accrescat domus[3]).

Perperam Havet cum Phaedri arte Senecae rationem metricam mihi comparare videtur; nam licet hi poetae fere aequales fuerint, tamen Phaedri ars pro suo tempore plane subrustica dicenda longe abhorret a trimetris perpolitis poetae Cordubensis. Phaedrus secutus est potius — eis fabulis quibus sermonem tragicum Ennii aemulari videtur exceptis — et id dicendi genus et eam artem metricam, qua usi sunt mimographi Laberius et Publilius

1) initium versus I 5 10 corruptum extat.

2) L. Mueller, De re metrica. Petrop. et L.[2] 1894, p. 340 sq.

3) cf. pyrrhichios:

veto IV. 18. 31.
volo IV. 21. 6.
scio {V. 2. 13. / app. 24. 6., ut cetera omittam.

Syrus similesque, qui quidem etiam ea re non nimis ab illo dissentiunt, quod eorum quoque ars

risum movet
et quod prudenti vitam consilio monet[1]).

Hi vero mimographi elocutionem comicorum veterum imitabantur, quae res mihi ex Laberii fragmentis satis apparere videtur. In metrica autem arte eos libertatem Plauti Terentique magnopere coercuisse consentaneum est, quamquam non tales eos tamque politos versus pepigisse mihi persuasum est, quales reliquiarum editores statuere solent[2]). Sed cum apud eos tanto in numero versuum mutilorum misereque traditorum vix umquam ars limatior deprehendatur, hac in re imprimis ad vetustiora exempla deducimur.

Quaeritur igitur, qua ratione ipsi veteres poetae scaenici synaloepham verborum iambicorum admiserint. Si tales enim voculae tres moras complexae eliduntur, duae partes aut certe plus dimidio singularum vocum synaloepha obscurantur. Id certe mirum esse debet. An Haveto fidem habemus, qui hac in re nihil interesse statuit inter iambicas voces et pyrrhichiacas, cum in versibus pangendis nemo veterum respicere solitus sit accentum, non Plautus vel Terentius, non Vergilius, Horatius, Ovidius, non Seneca?[3]) Quae num de optimis poetis omni ex parte recte dicta sint, in suspenso relinquo, de Plauto autem et Terentio ea certe non recte iudicata esse contendi potest.

Apparet quaestionem supra propositam ad certum finem perduci non posse nisi legem gravissimam, quae est de correptione iambica, semper respicimus. Qua in re difficultas non ita parva obviam fit, quod imprimis voces iambicae in sermone cottidiano ita detritae erant, ut etiam in versibus saepissime ultima correpta ponerentur, quin etiam nonnullae iam Plauti temporibus semper pro pyrrhichiis usurparentur. Haec correptio, quae vocatur iambica, quin ad vim accentus referenda sit, nemo iam dubitare potest; sed equidem censeo nobis corripiendi potestatem non solum in praecedenti brevi syllaba ponendam

---

1) Phaedrus I. prol. 3. 4.
2) cf. E. Woelfflin, Publili Syri sententiae. L. 1869, pag. 57 sq.
3) Havet, l. c. pag. 196.

esse, ut Wallstedt[1]), qui quidem optime de his rebus egit, exposuit, sed etiam ut Skutsch Muellero duce[2]) voluerat[3]), subsequenti syllabae eandem vim esse tribuendam.

Ego vero, cum editio Terenti, quae ad hanc quaestionem subtiliorem sufficiat, nobis nondum praesto sit, interim fabulas Plautinas perscrutatus sum. Sed ut rectius qua ratione usi sint in iambicis verbis elidendis poetae iudicemus, etiam in ceteras fabulas scaenicorum ceterorumque poemata inquirere nostrum erit. Maximi autem est momenti proponere, quanam ratione ac via haec materia satis copiosa discerni ac discribi debeat. Primum elucet illam de correptione iambica quam vocamus legem hac in quaestione quasi fundamentum esse debere, deinde quibus finibus haec lex circumscribatur nos compertum habere necesse est. Quae norma cum ad ipsam volgaris sermonis consuetudinem referenda sit, concludi potest non omnia verborum genera sine discrimine, ut Mueller[4]) et Klotz[5]) erant arbitrati, ei esse subiecta; nec minus dubium est, quin qui eam ut *metricam* legem in omnibus versus arsibus, quas solvere liceret, sine ulla exceptione valere censebant[6]) erraverint, id quod G. Jachmann argute docuit[7]). Quae cum ita sint, magni interest intellegere, quibus ex indiciis voces iambicas naturam suam quasi exuisse appareat. Nam tum demum si verba bisyllaba, quae aut semper aut certe plerumque pro pyrrhichiis adhibita sunt, accurate quantum fieri potest seiunxerimus, verba quorum stabilis natura iambica est apparebunt nec non manifestum erit, quam late pateat synaloepha vocum vere iambicarum.

---

1) E. Wallstedt, Studia Plautina. Lundae 1909. cf. Bickel, Bln. phil. Wochenschrift 1911. 1086.

2) C. F. Gu. Mueller, Plautinische Prosodie. Bln. 1869.

3) F. Skutsch, Jahresberichte für romanische Philologie I. 1891. pag. 33 sq. et Plautinisches und Romanisches. L. 1892, pag. 6 sq.

4) C. F. Gu. Mueller, l. c. pag. 84.

5) R. Klotz, Grundzüge altrömischer Metrik, pag. 53 sqq.

6) R. Klotz l. c. pag. 55 sq.

7) G. Jachmann, Studia prosodiaca ad veteres poetas scaenicos latinos spectantia. Marp. 1912.

Quibus igitur indiciis observatis diiudicare possumus, utrum vox bisyllaba in fabulis Plautinis obvia iambicis adscribenda sit necne? Ad haec enucleanda nobis praesto esse potest:

1. Correptio iambica. Quaeritur enim, num vocabulum aliquod frequentissime an raro corripiatur. Id quod cum cura perfecit Leppermann[1]), cuius commentatione nobis iudicium satis certum paratur.

2. Respiciendi sunt ii versuum loci, quibus ne correptio iambica admitteretur poetae veteres cavebant. Jachmann enim observavit[2]) *correptionem iambicam, quae quidem vera esset, a paenultima arsi senariorum iambicorum septenariorumque trochaicorum, necnon a paenultima arsi coli prioris versuum iambicorum septenariorum octonariorumque asynartetorum alienam esse.* Itaque cum de vera correptione cogitari nequeat, ea verba bisyllaba, quae his locis correpta occurrunt, apud Plautum Terentiumque pro pyrrhichiis usurpari solebant.

3. Haud neglegendae sunt verborum compositiones agglutinationesque, in quibus voces iambicae sua potestate quasi privantur, id quod aut per enclisin aut per proclisin fieri solet[3]).

4. Rationem habere debemus earum vocum, quae data occasione synizesin patiuntur. Licet hac in licentia iudicanda vix umquam ad certum finem pervenire possimus, tamen apparet eas voces, quarum vocales finales constat synizesi coalescere

---

1) H. Leppermann, De correptione vocabulorum iambicorum, quae apud Plautum .... invenitur. Monast. Guestf. 1890.

2) l. c. pag. 33.

3) De hac re imprimis egerunt F. Ritschl, proleg. CCLVIII, nostris autem diebus H. Ottenjann, De vocum encliticarum apud Plautum collocatione. Monast. Guestf. 1910, pag. 18 sq., optime vero E. Wallstedt l. c. pag. 136 sqq., quocum conferri potest, quod idem exposuit in commentatiuncula: Enklisis oder nicht? in Från filologiska foreningen i Lund. Språkliga uppsatser III tillegnade A. Kock. Lund 1906, pag. 189 sqq. Antea Lindsay de eadem re identidem egit — Class. Rev. V. 373 sqq. 402 sqq., Journ. of Phil. XX. 135 sqq., cf. Bursian CXXX. 158 sqq. —, sed hic vir doctus in enclisi statuenda mihi modum excedere videtur.

potuisse, diligenter quoad fieri potest a reliquis secernendas esse.

Itaque sic meam de hac re commentationem instituendam esse existimavi, ut praemitterem brevem conspectum eas voces bisyllabas complectentem, quae non in iambicarum numerum referendae sunt. Qua in re distingui debent ea vocabula, quae iam ante Plauti aetatem ex iambicis pyrrhichiaca facta erant, ab illis quae eius temporibus ambigua indole erant. Prioris generis verba cum breviter absolvere possim, alterius accuratius inspicienda sunt. Interest enim aliquid, utrum voces huius alterius generis pyrrhichiacae fieri soleant an tantummodo data occasione suam naturam non servent. Sed dicat quispiam: quod ad priores voces attinet, nonne eae verba pyrrhichiaca prorsus adaequant? Id vero negandum; obstat enim, quod alterius generis verborum *ultima syllaba acuta priorem arsis solutae brevem efficere nequit, sed ictu semper producitur*[1]).

Quibus rebus absolutis in hoc tractatu porro de vocabulis vere iambicis, prout et in vocales a, e, i, o, u et in dipthongum ae cadunt, disserturus sum, sed ita, ut verba in m excidentia omittam, quorum de natura viri docti inter se dissentire non desierunt[2]). Nam cum hae voces prius iambi puri ducerentur[3]),

---

1) Jachmann l. c. pag. 25.

2) Varias virorum doctorum sententias affert Mirgel in diss. supra citata pag. 49 sqq.

3) Lachmann l. c. pag. 130 sq. et pag. 193. — Lindsay-Nohl, Die lateinische Sprache, pag. 79 et 141. — Maurenbrecher se vidisse putabat syllabas in vocalem + m cadentes in antiqua latinitate productas fuisse, hanc autem vocalem post Plauti aetatem longam esse desiisse, certe Augusti temporibus prorsus correpta fuisse (l. c. pag. 71 sqq.); sed haec opinio certis argumentis omnino non comprobari potest. — Aliter L. Mueller de hac re iudicat — Quintiliani (IX. 4. 40) testimonio nisus — de re metrica pag. 329: At quae (scil. syllabae) m litera, inquit, terminantur, ambiguae sunt et mediae. Haec enim etsi nullo tempore longam perfecit vocalem anteeuntem, tamen aliquid addit ei ponderis, sono quidem obtuso sicut fit in vocabulo Gallico *nom*. — Ad quod dicendum est, quod infra exponitur. — Particulae usitatissimae *enim* syllabam ultimam apud Plautum ne ante consonantem quidem produci exposuit Radford, transact. Am. Phil. Ass. XXXIV. pag. 86 sq.; ceterum vide, quid Leo de hac re disseruerit, l. c. pag. 330—33.

nostris diebus pyrrhichiacae existimantur[1]), iure quidem ut videtur si respicimus sermonem cottidianum, quem Plautus reddit. Nam ut praetermittam accentum exspiratorium ne in his quidem vocibus alteram syllabam produci passum esse, litteram m in ultima ante vocalem vix sonuisse vel, si mavis, vocalem ei antecedentem leniter per nares redditam esse constat. Haec res cum ex titulis vetustioribus, qui m finalem haud raro omiserunt, tum inde cognosci potest, quod altera vocis syllaba elidenda — aliter atque in lingua Francogallica, in qua vocalis nasalis elidi nequit — tota synaloephae obnoxia erat m litera prorsus neglecta[2]).

Ultimum meum officium puto ut in brevi conspectu videamus, quae vis insit in versus ictu et quantitate subsequentis syllabae necnon quot qualesque voces iambicae in hiatu positae sint.

Perscrutatus sum hac in commentatione omnes Plauti fabulas; sed cantica omittere mihi liceat, quippe quae ad hanc rem illustrandam minus apta esse videantur, cum de metris eorum, quamvis iis Leo[3]), Sudhaus[4]) aliique operam navaverint, non ubique satis constet. Ceterum si forte accidit, ut in tanta exemplorum quae collegi multitudine unum alterumve me fugeret, veniam a prudentissimo quoque me impetraturum spero. Versus autem citantur secundum editionem in bibliotheca Teubneriana a Goetzio et Schoellio curatam, sed nimirum ceteras quoque editiones, imprimis Ritschelii sociis operae adsumptis Loewio, Goetzio, Schoellio et Leonis ut decet consului, quae suo loco proferentur.

---

1) Sommer, Handbuch d. lat. Laut- u. Formenlehre, pag. 162 et 302. — Leppermann et Jachmann vocum in m exeuntium omnino non rationem habuerunt.

2) cf. Servius in Verg. Aen. I. 3. — Charisius pag. 279 K. — Consentius pag. 403 K. et Th. Birt, Kritik und Hermeneutik, Münch. 1913, pag. 138.

3) F. Leo, Die Plautinischen Cantica und die hellenistische Lyrik. Bln. 1897.

4) S. Sudhaus, Aufbau u. Metrik der Plautinischen Cantica. L. 1909. cf. F. Leo, G. G. A. 1911, pag. 65 sqq.

Iam ad rem ipsam accedamus ac primum quidem de quibusdam verbis bisyllabis pauca disquiramus, quae naturam iambicam aut plane aut saepissime omiserunt.

In priore verborum genere habenda sunt adverbia *bene* et *male* atque coniunctiones *nisi* et *quasi*. *Bene* enim et *quasi* nusquam apud Plautum trium morarum extant; *male* semel alteram syllabam productam praebere videtur in versu Aul. 208: nĭmĭs mălē timui priusquam intro || — hoc autem loco *male* artissime cum praecedenti adverbio *nimis* coniunctum vix habet quicquam suae potestatis, sed paeonem quartum ⏑ ⏑ ⏑ –, sive mavis creticum prima arsi soluta prorsus aequat velut *diu* in compositione *nĭmĭs dĭū*, qua de re infra videbimus. Huc accedit, quod hoc versus loco syllaba anceps esse potest, id quod H. Jacobsohn in dissertatione Quaestiones Plautinae, Gott. 1904 luculenter exposuit. *Nisi* autem in septenariis bis occurrit altera syllaba producta[1]: Poen. 325 et Rud. 1092. Alias etiamsi in dipthongum *ei* cadit, ut in versu Rud. 1012, pro pyrrhichio habetur. De particula *uti*, quae plerumque apud Plautum longa ultima extat, sat habeo id monere, quod Jachmann in commentatione supra laudata pag. 12 exposuit. Quod ante vocalem usquam formam *uti* in textu ponamus non habemus. Sed hactenus de voculis prioris ordinis.

Particula *ibi* et *ubi*, ut ad alterum genus nos convertamus, crebrius pro iambis adhibita obviam fiunt; *ibi* fere sexies: Asin. 709, Capt. 1000, Cas. 73, Curc. 340, Poen. 718, Pseud. 425, *ubi* autem duodecim locis, quos enumerare longum est. Contra haec duo vocabula plus trecentis locis bibrevia usurpantur.

Simili modo res se habet in pronominibus *ego* et *mihi, tibi, sibi,* quae etsi in omnibus versus sedibus identidem ultima producta deprehenduntur, tamen ob ingentem numerum exemplorum ultimam correptam praebentium, quae sine dubio sermoni cottidiano respondent, Plauti aetate pyrrhichiaca fuisse censenda sunt. Hanc ambiguae mensurae libertatem omnibus temporibus poetas servasse inter omnes constat[2]. Ut videas, qua ratione inter

1) Sed etiam his locis syllaba anceps accipi potest.

2) cf. Th. Birt, Katalepton pag. 45.

se differant hae voces ultima correpta et longa, numeros proponere mihi liceat. Inveniuntur enim pronomina *ego, mihi, tibi, sibi* apud Plautum

a) ultima syllaba haud correpta

in senariis	in sept. iamb.	in sept. troch.
42	44	74

b) ultima syllaba correpta

in senariis	in sept. iamb.	in sept. troch.
638	144	1188

locis[1]).

Sequuntur adverbia *heri, domi; cito, modo; eo, diu,* quorum natura satis ambigua esse videtur.

Heri iambica indole non est nisi in tribus versibus:

Capt. 111: hĕrī quos emi de praeda a quaestoribus[2])
Amph. 799: aīn hĕrī nos advenisse huc? ||
Most. 953: || aūt hĕrī certo scio[3]),

in his autem versibus certe pyrrhichiaca extat:

Amph. 514: hĕrĭ venisti media nocte ||
Stich. 516: || hĕrĭ me iam vocaverat
Merc. 257: navem ex Rhodo quast hĕrĭ ⁝ advectus filius
Stich. 152: || hĕrĭ ⁝ aūt hodie venerit

bis igitur in hiatu. Minus constat de pyrrhichii mensura in versibus: Amph. 303, Curc. 17 et 18, ubi equidem hĕrĭ praeferam, et in versibus Amph. 731 et Persa 116, in quibus altera syllaba in thesi ponatur. Etiam minus ad rem explanandam valent versuum exitus Rud. 130 et 151. In Persae autem versu 108 in fine *here* testimonio glossarii Plautini[4]) legitur,

---

1) Quos ad numeros constituendos mihi in promptu fuit Leppermann, l. c. pag. 23. 39. 62.

2) *a quaestoribus* legendum est pro *de quaestoribus* secundum versum 453.

3) Sed monendum est in duobus ultimis versibus propter caesuram Jacobsonianam syllabam ancipitem accipi posse.

4) Vide Ritschelii opusc. II 265, quocum conferendum est, quod pag. 254 sq. exposuit.

quam formam in Mil. versu 59 cod. A exhibere videtur. Etiamsi certis argumentis probari nequit *heri* vocabulorum *ibi, ubi* sim. generi adscribendum esse, tamen verisimile id habeo propter usum satis frequentem pyrrhichiacum. In synaloepha autem invenitur ante arsin eamque longam Amph. 717. 725. 758, Capt. 30, Merc. 481, Poen. 114. 138, Stich. 416; fortasse in Amph. 714. Ante thesin longam ita, ut prior syllaba vocis *heri* posteriorem arsis solutae efficiat, legitur in versibus Amph. 823 et Pers. 577.

Eandem in difficultatem deducimur in quantitate diiudicanda adverbii *domi*, quem locativum Plautus suo arbitrio modo bibrevem modo iambicum posuit[1]). Sed si exemplorum copiam diligentius inquirimus, facile cognoscimus hoc vocabulum multo saepius bibreve usurpatum esse quam ultima longa. Huc accedit, quod tanta crebritas exemplorum, ubi *domi* simul et corripitur et in arsi eliditur, quantam legimus in Mil. versibus 191—194, nisi haec licentia ipsi sermoni usitato respondisset, vix tolerari potuisset. Quamquam saepissime vox eliditur, tamen synaloepha semper fere ante arsin fit; ante thesin autem bis cum hiatu legenda est in principio versus Merc. 845 et — licet quidem — post diaeresin versus Pers. 226, denique tota in thesi ponitur Epid. 664.

Ex adverbiis in o cadentibus primum inspiciamus ea, quae ante exitum consonantem praebent, puta *cito* et *modo*. *Modo* a Ritschelio semper correpta ultima ducebatur[2]), particulae *cito* idem ambiguam naturam ut ceteris supra tractatis tribuebat. Adverbium *cito* ultima longa in Plauti fabulis quinquies invenimus:

Bacch.	202	in arsi quarti pedis senarii
Most.	541	
Cist.	748	
Cist.	781	in arsi alterius pedis sept. troch.
Men.	225	in arsi sexti pedis sept. troch.

Itaque satis mirum esse debet hanc vocem ultima longa non reperiri nisi iis versuum locis, quibus ancipitem syllabam extare Jacobsohn docuit[3]). Alioquin *cito* semper fere ultimum sive

1) Genetivi singularis numeri *domi* exempla extant quoad vidi duo iambicae mensurae ut videtur: Amph. 503 et Trin. 1027.

2) Vide proleg. pag. CLXIX.

3) In dissertatione supra allata.

versus sive coli prioris pedem occupat, ut de quantitate nihil enucleari possit. Semel ultima syllaba correpta vox extat Mil. 256; praeterea non occurrit nisi aut in canticis aut synaloephae subiecta (Poen. 567. 874, Truc. 467, Mil. 921. 1195, Trin. 1108 ex coniectura Ritschelii): certum igitur iudicium fieri nequit.

Iam de *modo* adverbio disputemus. Agitur de ipso adverbio, non de substantivo, cui suo loco operam dabimus. Si exempla perlustramus, quorum sedecim[1]) ultima longa deprehenduntur, apparet errasse Ritschelium dicentem adverbium *modo* semper corripi. Sed ex his 16 locis non minus 10 secludendi sunt, quippe quibus mensuram ambiguam accipere liceat. Ne veram iambicam hanc vocem censeamus obstat, quod Men. 75 paenultimam arsin explet. Cetera huius generis exempla ex Terentio prolata vide apud Jachmannum pag. 10.

Restat ut de *diu* et *eo* pauca adiciam. De vocis *diu* prosodia satis superque disputatum est a viris doctis, vereorque ne umquam ad certum finem perducamur: nam parum sibi constat huius vocis in fabulis usus. Ne in compositionibus quidem, in quibus ad alia adverbia, *tam, quam, nimis* sim. se applicat, consuetudo stabilis comparet; legimus enim

Poen. 1266 tām dĭŭ

contra

Cas.	804	tā̇m dĭŭ in synaloepha
Truc.	335	
Capt.	980	quā̇m dĭŭ in synaloepha

similiter

Most.	476	iā̇m dĭŭ in synaloepha
„	302	
Truc.	323	extat mĭnŭs dĭŭ, contra
Merc.	166	nĭmĭs dĭŭ in synaloepha.
Most.	292	
Pseud.	687	

His in coniunctionibus nec non in hā̇u dĭŭ (Mil. 95) et nōn dĭŭ (Pers. 617) non vocabulum vere iambicum, sed creticum elidi manifestum est.

---

1) Exempla adverbii enumerat Jachmann in commentatione laudata pag. 10.

Aliter res sese habet in adverbio *eo*; haec particula adeo detrita Plauti aetate videtur esse, ut trium morarum quantum video in fabulis Plautinis nusquam deprehendatur. Ut nonnullis locis eius vocis duas vocales synizesi coalescere necesse est, ita etiam in synaloepha cum synizesi posita est in versibus:

Aul. 594: ‖ quo īncumbăt eo īmpĕllere

Trin. 341: nŏn eo haēc dīcō, quin quae tu vis ‖.

Hactenus de adverbiis.

Iam procedamus ad verborum formas, quae quidem speciem iamborum prae se ferunt, re autem pyrrhichiis adscribendae sunt: dico imperativos quosdam alterius et quartae coniugationis. Iam pridem viri docti cognoverant imperativos illos, qui ut in ipso sermone ita in versibus frequentissime adhibentur, *cave, tace, tene, mane, vide, iube,* quibus ex quarta coniugatione *abi* adnumerari potest, multo saepius pro pyrrhichiis usurpatos esse quam pro iambis. Accedit quod Jachmann, cum imperativi *cave, tace, tene, abi* iis ipsis locis, a quibus correptio iambica aliena esse solet, bibreves inveniantur, recte conclusit eorum legitimam formam Plauti temporibus esse pyrrhichiacam. His quattuor verbis etiam *mane, vide, iube,* etsi iis versuum locis quos modo dixi correpta non extant, tamen propter ipsam frequentiam correptionis adnumerare licebit.

Contra mihi persuadere non potui tales quoque formas, quales sunt *scio, volo, nego, voco, amo, eo,* sim., licet saepissime bibreves deprehendantur, vere pyrrhichiacas esse censendas. Nam praeterquam quod numquam in paenultima versus aut coli prioris arsi correptae occurrunt, Plautus iis plenam iambicam mensuram nimis saepe concessit. Ut perspicias, quot locis illae formae usitatissimae hanc mensuram servaverint, quot bibreves factae sint, verborum *volo* et *scio* exempla, quae in iambicis et trochaicis metris occurrunt, hic mihi liceat proponere. Extat perpaucis dubiis omissis

volo	correptum	32	locis
	iambica mensura	33	„
scio	correptum	40	„
	iambica mensura	22	„

Unde satis elucet, si hae duae formae quamvis usu detritae tam saepe haud correptae inveniuntur, de veris eius generis pyrrhichiis cogitari iam non posse. Ceterae enim formae primae personae praesentis temporis etiam multo rarius correptione iambica breviantur.

Iamiam res in eo est, ut paucis comprehendamus, quae adhuc constituimus. Cognovimus primum particulas *bene, male, quasi, nisi* iam ante Plauti aetatem pyrrhichiacas factas esse, deinde adverbia *ibi, ubi* nec non pronomina quae sunt *ego, mihi, tibi, sibi,* quamquam ubi res ferebat, etiam pro iambis adhibita sunt, tamen longe plurimis locis pro pyrrhichiis stare, ita ut haec mensura duarum morarum poetae temporibus in his quoque vocibus legitima fuisse dicenda sit, tum etiam adverbia *heri, domi; cito, modo; eo, diu* his vocibus adiungenda esse vidimus; denique imperativos qui sunt *cave, tace, tene, abi* certe tum temporis bibreves fuisse, eandem in verbis *mane, vide, iube* mensuram pyrrhichiacam valuisse satis verisimile est. Itaque haec omnia verba in nostra de synaloepharum usu quaestione omittenda sunt, idque eo quoque firmatur quod etiam ubi eliduntur, illae voces pyrrhichium prorsus adaequant, qua de re postea.

His tandem verbis reiectis fieri posse videtur, ut de veris iambis elisis certum iudicium faciamus. Potest sane; nisi quod respiciendi sunt etiam ii loci, quibus integrae voces iambicae sua potestate quasi privatae sunt, id quod aut per enclisin aut per proclisin fieri solet. Usitata est ea enclisis, qua nomen iambicum cum praepositione coniungitur quod factum est in ȧ fŏrō, i̇n vĭā, si̇nĕ mŏdō sim., quales coniunctiones cum creticos plane aequent, in synaloepha quoque creticorum instar adhibitae sunt semperque fere in arsin eliduntur; solus versus Amph. 111 repugnare videtur, in quo legimus: ŭtrīmque est gravida ĕt ĕ̇x vĭro ĕt ĕ̇x summo Jove[1]). Etiam artior fit iambicae vocis cum praepositione compositio in verborum collocatione ă̇b ăvō, dĕ̇ ⁝ ĕquō, cŭ̇m ⁝ ăquā, cum acuta brevi vel correpta praepositione praecedente vox iambica suum sonum prorsus non ser-

1) Hic versus fortasse sic quoque legi potest: .... ė̆x vĭro ĕ̇t ĕx sūmmŏ̇ Jŏvė̆.

vare possit. Itaque fit ut etiam in versibus tales coniunctiones semper ante thesin inveniantur.

Non minus trita est applicatio, qua alterum nomen cum altero quasi coalescere videtur ea condicione, ut insequens sub sonum antecedentis monosyllabi, vel bibrevis vocis se subiciat ut puta: quō mŏdō, quŏiŭs mŏdī, tŭŏ pătrī, quĭs hŏmō sim.

Simili autem ratione aliae quoque voces iambicae coniunctionem artiorem ineunt, adverbium cum adverbio, verbum cum pronomine, verbum cum adverbio, qualia sunt

ĭtă prŏbē
ĕgŏ fŭī
bĕnĕ vălē

Rarius vero voces quaedam iambicae proclisin patiuntur, nec facile est eius generis exempla recte iudicare. Ego vero censeo in iuncturis quibusdam receptissimis non solum ante sonum subsequentem ut in bŏno ănĭmō, mĕa ŏpĕrā, verum etiam data occasione ante syllabas graviores, quas sonus subsequitur, ut in hŏmo ĕxĕrcĭtŭs, vólo hăbĕrĕ proclisin accipiendam esse.

Iam vero ut dilucide perspiciamus, quot qualesve voces iambicae in synaloepha omnino reperiantur, in tabulis omnes collocavi, pronominibus seiunctis, quae in appendice proposui. Dispositio autem e re ipsa elucebit. In tabulas nimirum coniunctiones agglutinationesque supra tractatas recepi, sed iis in adnotatione numeros adpinxi.

I. Voces iambicae in -a cadentes.

1. ablativus I. declinationis.

a) substantiva.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Trin. 943	usque aqua ădvorsa per amnem ‖	1	long.	—	—	—	sept. troch.	
Rud. 534	† ut quom exissem ĕx ăqua ărerem tamen	4	„	—	—	—	senar.	∸ ⏑ -
Stich. 485	apertiore magis via ĭtă plane loquar	4	brev.	—	—	—	„	
Bacch. frgm. VII	cum nassiterna et cŭm ⁝ ăqua īstum …	3/4	—	—	long.	—	„	*
Cas. 296	‖ cŭm ⁝ ăqua ĕt sortis ‡ satis placet	5	—	—	„	—	sept. troch.	*

b) adiectiva.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Aul. 773	‖ quoque bona ‡ ătque id si scies	5	long.	—	—	—	sept. troch.	
Truc. 565	‖ sine bona ŏmni gratia	5	„	—	—	—	„	
Most. 576	scio te bona ĕsse voce: ne clama nimis	2	„	—	—	—	senar.	
Pseud. 104	spero alicunde hodie me bona ŏpĕra aut …	4	brev.	—	—	—	„	
Amph. 605	est ma‖li mala ŏbiectum manu	5	long.	—	—	—	sept. troch.	
Aul. 215	‖ sine mala ŏmni malitia	5	„	—	—	—	„	
Mil. 673	nam in mala ŭxore atque inimico ‖	1	„	—	—	—	„	
Men. 133	meo malo a mala ăbstuli, hoc ‖	3	„	—	—	—	sept. iamb.	
Asin. 734	‖ bonae mala ŏpĕra partae	6	brev.	—	—	—	„	
Rud. 475	ut comprehendar cŭm să-cra ŭrna Veneria	4	long.	—	—	—	senar.	

c) pronomina seorsum tractabuntur.

2. imperativus I. coniugationis.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Asin. 922	nullus sum ‡ immo es, nĕ nĕga ŏmnium …	3	long.	—	—	—	sept. troch.	∸ ⏑ -
Poen. 1005	si ⟨ita⟩ est, nega ĕsse: nolo ego errare hospitem	2	„	—	—	—	senar.	
Stich. 256	nega ĕsse quod dem nec mihi nec mutuom	1	„	—	—	—	„	
Pseud. 454	orationem tibi para ăd-vorsum senem	4	„	—	—	—	„	
Bacch. 881	roga hŭnc tu, tu promitte huic ‡ promitto, roga	1	„	—	—	—	„	

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	me-trum	adnotatio
Pseud. 116 1073	roga ŏpsecro hercle: gestio promittere	1	long.	—	—	—	senar.	
Capt. 179	age sis, roga ĕmptum, nisi qui meliorem adferet	2	„	—	—	—	„	
Rud. 1212	eum roga[t] ŭt relinquat alias ‖	1	„	—	—	—	sept. troch.	t vel to del. Bentley

II. Voces iambicae in -e cadentes.

1. substantiva.

a) dat. V. declinationis.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Trin. 117	qui tuae mandatus est **fide** ĕt fiduciae	4	long.	—	—	—	senar.	
142	taciturnitati clam fide ĕt fiduciae	4	„	—	—	—	„	traditum est fidei
Pers. 193	scio fide hĕrcle erili ut soleat ...	1	„	—	—	—	oct. troch.	A: fide P: fidei
Trin. 128	edepol fide ădŭlescentem mandatum malae	2	brev.	—	—	—	senar.	traditum est fidei

b) abl. V. declinationis.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Pers. 194	‖ pro ea **fide** hăbĕant iudicem	5	brev.	—	—	—	sept. troch.	
Amph. 254	... quia illo **die** īnpransus fui	6	long.	—	—	—	oct. iamb.	
Aul. 70	decies die ūno saepe extrudit aedibus	2	„	—	—	—	senar.	
Men. 749	eodem die īllum vidi quo te ante hunc diem	2	„	—	—	—	„	
Truc. 338	prius praedivinant quŏ dĭe ĕssuri sicut	4	„	—	—	—	„	∸ ᴗ –
Bacch. 341	quin habeas illud quŏ dĭe īlluc veneris	4	„	—	—	—	„	∸ ᴗ –
Poen. 344	quŏ dĭe Ŏrcus Acherunte ‖	1	„	—	—	—	sept. troch.	∸ ᴗ –
Pers. 479	bonus volo iam ex hŏc dĭe ĕsse ‖	3	„	—	—	—	„	
Poen. 500	omnis extollo ex hŏc dĭe ĭn ălium diem	4	brev.	—	—	—	senar.	

2. verba.

imperat. II. coniugationis.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Epid. 562	hostiumst potita ‡ **habe** ănĭmum ‖ lenem	3	brev.	—	—	—	sept. troch.	
Aul. 192	‖ tace, bonum hăbe ănimum Euclio	6	—	ante brevem syll.	—	—	„	

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Cas. 387	‖ credere ‡ hăbe ănimum bonum	6	—	ante brevem syll.	—	—	sept. troch.	
Epid. 601	‖ intro abi, hăbe ănimum bonum	6	—	„	—	—	„	
Mil. 804	‖ quam ⁝ ego ⁝ hăbe ănimum bonum	6	—	„	—	—	„	
1357	‖ esse ‡ hăbe ănimum bonum	6	—	„	—	—	„	FZ: habe BCD: habeo corr. Bothius
1236	non faciet: hăbe ănimum bonum ‡	2	—	„	—	—	sept. iamb.	
Pers. 320	ego reiciam hăbe ănimum bonum ‡	2	—	„	—	—	„	
Men. 690	‖ tĭbi hăbĕ ⁝ aūfer, utere	5	long.	—	—	—	sept. troch.	hiatus
Asin. 537/8	‖ mater, quid faciam, mone ‡ ĕm	7	„	—	—	—	„	
Bacch. 1035	vale ătque haec cura. quid nunc censes ...	1	„	—	—	—	senar.	
Capt. 744	vale ătque salve, etsi aliter ut dicam meres	1	„	—	—	—	„	
Cas. 548	‖ nunc vale ătque istanc iube	5	„	—	—	—	sept. troch.	
Cist. 116	quando ita tibi lubet vale ătque ‖ salve ‡	3	„	—	—	—	„	
Curc. 588	ego abeo; vale ătque salve ‡ ‖	2	„	—	—	—	„	
522	‖ me vis? ‡ vale ătque salve	6	„	—	—	—	sept. iamb.	
516	... bene vale ‡ ‖ vale ‡ heūs tu, tibi ego dico	5	„	—	—	—	„	
Pers. 709	voltis? ‡ vale ‡ ĕt vos: nam animus ...	2	„	—	—	—	senar.	
Poen. 1358	haud aliter ausim ‡ bĕnĕ văle ‡ ĕt tu ...	4	„	—	—	—	„	◡́ ◡ ◡ –
Mil. 1352	‖ iăm văle ‡ ĕt tu bene vale	5	„	—	—	—	sept. troch.	–́ ◡́ –
1361	‖ bĕnĕ văle ‡ ĕt tu bene vale	5	„	—	—	—	„	◡́ ◡ ◡ –
Amph. 499	bĕnĕ văle Ălcumena, cura ‖	1	„	—	—	—	„	◡́ ◡ ◡ –
Capt. 452	‖ bĕnĕ văle ‡ ĕdĕpol rem meam	5	brev.	—	—	—	„	◡́ ◡ ◡ –
Curc. 203	bĕnĕ văle, ŏcŭle mi; nam sonitum et ‖	1	„	—	—	—	„	◡́ ◡ ◡ –
Mil. 1373	bĕnĕ văle ĭgĭtur ‡ ire meliust ‖	1	„	—	—	—	„	◡́ ◡ ◡ –
Poen. 568	bĕnĕ văle ĭgĭtur. te advocatos ‖	1	„	—	—	—	„	◡́ ◡ ◡ –

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Poen. 913	văle ĕt haĕc cura clanculum ut sint ‖	1	—	ante brevem syll.	—	—	sept. troch.	
Asin. 592	vălĕ ⋮ ‡ ălĭquanto ⋮ amplius ...	1	—	—	brev.	—	sept. iamb.	hiatus

3. adverbia.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Aul. 609	‖ ĭtă prŏbe ĭn latebris situmst	5	long.	—	—	—	sept. troch.	
Pers. 481	paratae ‖ sunt probe. ădgrediar virum	5	„	—	—	—	„	
Rud. 566	‖ si probe ădpotus siem	5	„	—	—	—	„	
Stich. 436	meam culpam habeto, nisi probe ĕxcruciavero	4	„	—	—	—	senar.	
Bacch. 701	emungam hercle hominem probe hŏdĭe ‖	3	brev.	—	—	—	sept. troch.	
Capt. 896	‖ prŏbe ĕrō, fusti pectito	5	—	ante brevem syll.	—	—	„	
Pers. 853	‖ prŏbe ĭnĭmico gratiam	5	—	„	—	—	„	

III. Voces iambicae in -ī cadentes.

1. substantiva.

a) II. declinationis.

α) genitivus sing. num.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Amph. 262	nunc pergam eri ĭmperium exsequi ‖	2	long.	—	—	—	oct. iamb.	
Mil. 105	insinuat sese ad illam amicam eri ⟨Ăttici⟩	5	„	—	—	—	senar.	ex cj. Niem. Schoell: ilico
Amph. 622	‖ ĕrĭ ⋮ ĭmperia persequi	5	—	—	long.	—	sept. troch.	hiatus
Pseud. 1202	ĕrĭ ⋮ ĭmagine obsignatam epistulam ...	1	—	—	brev.	—	„	hiatus
Merc. 617	montis tu quidem mali ĭn me ar‖dentis	3	long.	—	—	—	„	
772	aliquid mali ĕsse propter vicinum malum	2	„	—	—	—	senar.	
Stich. 297	‖ neque id viri ŏfficium arbitror	6	„	—	—	—	sept. iamb.	
Cist. 753	istic quidem edepol mei vĭrī ⋮ hăbĭtat gener	4	—	—	brev.	—	senar.	hiatus
Bacch. 66	penet[ra]re⟨m⟩ me hŭiŭs mŏdi ĭn palaestram ...	2	long.	—	—	—	sept. troch.	
Pseud. 823	quom hasce herbas hŭiŭs mŏdi ĭn suom ...	3	„	—	—	—	senar.	

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Men. 221	‖ quŏiŭs mŏdi hīc homines erunt	5	long.	—	—	—	sept. troch.	ᵕ ᵕ ᵕ –
Pers. 386	quŏiŭs mŏdi hīc cum [mala] fama . . .	2	„	—	—	—	senar.	A : cuius BFZ : quoius Lor. : quoivis
Bacch. 676	an nesci[e]bas quam ĕiŭs mŏdi hŏmĭni ‖	3	brev.	—	—	—	sept. troch.	ᵕ ᵕ ᵕ –
Pers. 648	quŏiŭs mŏdī ĭs in populo habitust? ‖	2	—	—	brev.	—	„	hiatus

β) nominativus plur. num.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Aul. 346	dicant: coqui ābstulerunt, comprehendite	2	long.	—	—	—	senar.	
404	coqui hĕrcle credo faciunt officium suom	1	„	—	—	—	„	
451	‖ et coqui ĕt tibicinae	5	„	—	—	—	sept. troch.	
Pseud. 672	hic doli, hīc fallaciae omnes ‖	1	„	—	—	—	„	
Amph. 960	proinde eri ŭt sint, ipse item sit ‖	1	„	—	—	—	„	
Mil. 919	adsunt fabri ărchitectique	2	„	—	—	—	sept. iamb.	
Cas. 971	hac lupi, hăc canes: lupina ‖	1	„	—	—	—	sept. troch.	

b) III. declinationis.

α) dativus sing. num.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Pers. 295	tun me defigas? te cruci īpsum . . .	4	long.	—	—	—	sept. iamb.	
Amph. 992	ut filium bonum patri ĕsse oportet . . .	4	„	—	—	—	oct. iamb.	
465	patri ŭt liceret tuto illam amplexarier	1	„	—	—	—	senar.	
Bacch. 520	profecto stabilest me patri aūrum reddere	4	„	—	—	—	„	
680	perii ‡ quid ita? ‡ quia patri ŏmne ‖	3	„	—	—	—	sept. troch.	
Pseud. 288	‖ hic patri aūdacissume	5	„	—	—	—	„	
Amph. 144	tum mĕŏ pătri aūtem torulus inerit aureus	2	„	—	—	—	senar.	ᵕ ᵕ ᵕ –
Merc. 80	ego mĕ ⁞ ŭbi invisum mĕo pătri ĕsse intellego	4	„	—	—	—	„	ᵕ ᵕ ᵕ –
Capt. 979	tŭŏ pătri ăit se vendidisse ‖	1	„	—	—	—	sept. troch.	ᵕ ᵕ ᵕ –
Bacch. 734	‖ sŭŏ pătri ‡ ădscribe hoc cito	5	„	—	—	—	„	ᵕ ᵕ ᵕ –

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Merc. 631	‖ mĕŏ pătri; ĕgŏ me credidi	5	brev.	—	—	—	sept. troch.	⏑́ ⏑ ⏑ –
Rud. 1270	quid patri ĕtĭam gratulabor ‖	1	„	—	—	—	„	
Aul. 5	patrī ăvȯque iam huius qui nunc hic habet	1	—	—	brev.	—	senar.	hiatus
Capt. 10	patrī ⁝ huiūsce: iam hoc tenetis? …	1	—	—	„ ?	—	„	hiatus
Poen. 120	is illi Poeno huius patrī hōspes fuit	4	—	—	long.	—	„	Leo: patruo hiatus
Bacch. 530	reddidi patrī ⁝ ōmne aurum ‖	2/3	—	—	„	—	sept. troch.	hiatus
945	nostro seni huīc stolido ei profecto …	2	long.	—	—	—	oct. iamb.	
Capt. 7	seni huīc fuerunt filii nati duo	1	„	—	—	—	senar.	
Epid. 355	inveni: ⟨n⟩am ita suasi seni ătque …	4	„	—	—	—	sept. iamb.	
Stich. 562	qui seni īlli concubinam ‖	1	„	—	—	—	sept. troch.	

β) ablativus sing. num.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Rud. 977	īn mări īnventust communi ‖	1	long.	—	—	—	sept. troch.	–́ ⏑ –
1019	quemne ego excepi īn mări ‡ ăt ĕgo ‖	3	brev.	—	—	—	„	–́ ⏑ –
1307	‖ nocte īn mărī ⁝ ⟨ēlȧvi⟩	6	long.	—	—	—	sept. iamb.	cf. Pius, Leo –́ ⏑ – Birt: natavi
Pseud. 317	aut terra aut mări ⁝ ălĭquonde e‖volvam	2/3	—	—	brev.	—	sept. troch.	hiatus
Poen. 432	neque quantum aquaist īn mărī ‡ : ăbĭturun es?	4	—	—	„	—	senar.	hiatus

2. adiectiva.

a) II. declinationis.

α) genitivus sing. num.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Asin. 310	tantum adest boni īmproviso ‖	2	long.	—	—	—	sept. troch.	
Most. 27	hocine boni ĕsse officium servi existumas	2	„	—	—	—	senar.	
Poen. 640	siquid boni ădportatis, habeo gratiam	2	„	—	—	—	„	

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio

β) nominativus plur. num.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Trin. 1142	sed quid rides? ‡ mĕo ădlēgatu ‖	3	—	„	—	—	„	
Pers. 461	quas tu attulisti mi ab ero mĕo ŭsque ē Persia	4	—	„	—	—	senar.	
Amph. 657	eos auspicio mĕo ătquĕ ductu ‖	3	—	„	—	—	sept. troch.	
Capt. 434	‖ mĕo ĕ cōnspectu ab-scesseris	5	—	„	—	—	„	

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Most. 167	‖ mĕo ŏcēllo, meo patrono	5	—	—	—	ante brevem syll.	sept. iamb.	*
Mil. 440	cŭm mĕo ămātore adulescente ‖	1	—	—	—	"	sept. troch.	*
Pseud. 618	qui argenti mĕo ĕrō lenoni ‖	2	—	—	—	"	"	*
Poen. 879	scin tu erum tuom mĕo ĕro ĕsse . . .	3	—	—	—	"	"	*
Bacch. 876	tuo ărbitratu ‡ ut subblanditur, carnufex	1	long.	—	—	—	senar.	
Curc. 428	tuo ărbitratu, dum auferam abs te id, quod peto	1	"	—	—	—	"	
Pers. 566	evortes tuo ărbitratu ‖	2	"	—	—	—	sept. troch.	
Curc. 314	vae capiti tuo ‡ ŏbsecro hercle ‖	2	"	—	—	—	"	
Mil. 326	vae capiti tuo ‡ ⟨tuo⟩ īstuc ‖	3	"	—	—	—	"	add. Camerarius
Men. 149	ecquid audes de tuo īstuc ‖	3	"	—	—	—	"	
250	molestus ne sis: non tuo hŏc fiet modo ‡ hem	4	"	—	—	—	senar.	
841	vae capiti tuo ‡ ĕcce Apollo ‖	2	"	—	—	—	sept. troch.	
Pers. 563	‖ ex tuo īnquam ussust: eme hanc	5	"	—	—	—	"	
Asin. 605	‖ tŭo: hŭiŭs sērmonem accipiam	5	brev.	—	—	—	sept. iamb.	
Pers. 247	‖ tŭo ĕro ‡ ŭbi eccillum domi	5	—	ante brevem syll.	—	—	sept. troch.	
Poen. 881	‖ tŭo ĕrō meus quid possiet	5	—	"	—	—	"	
Pers. 842	‖ tŭo ŭt īmperio paream	5	—	"	—	—	"	
Asin. 328	tŭo ărbĭtratu vel adeo ŭsque ‖	1	—	ante syllab. corr.	—	—	"	
Aul. 647	tŭo ărbĭtratu ‡ ne inter tunicas ‖	1	—	"	—	—	"	
654	tŭo ărbĭtratu neque tui me ‖	1	—	"	—	—	"	
Capt. 867	tŭo ărbĭtratu: facile patior ‖	1	—	"	—	—	"	
Pseud. 661	tŭo ărbĭtratu: maxume ‡ nam ut ‖	1	—	"	—	—	"	
Truc. 911	tŭo ărbĭtratu quod iubebis ‖	1	—	"	—	—	"	
Bacch. 994	‖ tŭo ărbĭtratu serviat	5	—	"	—	—	"	

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Pers. 212	heia ‡ beia ‡ tŭo ĕx īngenio ‖	3	—	ante syllab. corr.	—	—	sept. troch.	
Amph. 1033	cum cruciatu tŭo ĭstaēc hodie ‖	3	—	"	—	—	"	
Merc. 529	‖ tŭo ĕrō redempta es rursum	5	—	—	—	ante brevem syll.	sept. iamb.	*
Bacch. 599	tŭo ĕgo īstaec igitur dicam illi periculo	1	—	—	—	"	senar.	*
Asin. 147	tuo facit iussu tŭo ĭmpĕrĭo ‖	3	—	—	—	ante syllab. corr.	sept. troch.	*
Men. 91	suo ărbitratu † adfatim cottidie	1	long.	—	—	—	senar.	
Asin. 446	‖ suo ŏdĭo ‡ heus iam satis tu	5	brev.	—	—	—	sept. iamb.	
Amph. 131	pater nunc intus sŭo ănĭmo morem gerit	3	—	ante brevem syll.	—	—	senar.	
Asin. 942	‖ sŭo ănĭmo fecit volup	5	—	"	—	—	sept. troch.	
Bacch. 416	‖ homini sŭo ănĭmo obsequi	6	—	"	—	—	"	
Capt. 290	genio ‖ sŭo ŭbĭ quando sacruficat	5	—	"	—	—	"	
Mil. 384	‖ cūm sŭo ămātore quodam	5	—	"	—	—	sept. iamb.	
Pers. 600	sŭo ărbĭtrātu ‡ quid stas? adi sis ‖	1	—	ante syllab. corr.	—	—	sept. troch.	
Mil. 245	cūm sŭo ămātore amplexantem ‖	1	—	—	—	ante brevem syll.	"	*
Trin. 899	et item hanc alteram sŭo ămīco ‖	3	—	—	—	"	"	*
Mil. 136	itaque illi amanti suo hŏspiti morem gerit	3	long.	—	—	—	senar.	u consonans
262	sermone ‖ suo ălĭquēm familiarium	5	brev.	—	—	—	sept. troch.	u consonans

4. in -ae exeuntia.

Poen. 1248	ubi sunt eae aŭt quas opsecro ‖	2	long.	—	—	—	sept. iamb.	
Stich. 540	duaĕ ⋮ erant, quasi nunc meae sunt ĕaĕ ⋮ ĕrant ‖	4	—	ante brevem syll.	—	—	sept. troch.	

meae, tuae, suae:

1. gen. u. loc. sg.

Merc. 239	sŭaĕ ⋮ ūxoris dotem ambedisse oppido	1	—	—	long.	—	senar.	hiatus

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Mil. 883	‖ tŭaĕ ⋮ ŏram orationis	5	long.	—	—	—	sept. iamb.	P: tuam moram; corr. Gulielmius
Epid. 563	dŏmĭ mĕae ĕccam salvam et sanam ‖	1	"	—	—	—	sept. troch.	cf. Leo qu. Pl. pag. 349

2. nom. plur. num.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Men. 191	quid hoc est? ‡ induviae tuae ătque ...	3	long.	—	—	—	sept. troch.	
Rud. 1161	‖ spes meae? ‡ ĭmmo edepol meae	5	"	—	—	—	"	
Cas. 527	fac habeant linguam tuae aĕdēs ‖	3	"	—	—	—	"	
Poen. 153	amo inmodeste ‡ mĕae ĭstūc scapulae sentiunt	3	—	ante syllab. corr.	—	—	senar.	
1256	vos mĕae ĕstis ambae filiae et ...	1	—	"	—	—	sept. iamb.	
871	‖ mĕae ălaē pennas non habent	5	—	"	—	—	sept. troch.	
Rud. 752	† tuae istae sunt ‡ contende ergo uter ...	1	—	—	—	—	"	vers. corr.
Poen. 873	volucres tibi erunt tŭaĕ ⋮ hīrquinae ‖	3	—	—	long.	—	"	hiatus

3. dat. sing. num.

versus		pes	ante arsin	in arsi	ante thesin	in thesi	metrum	adnotatio
Mil. 543	meae ĕt stultitiae ignoscas ...	1	long.	—	—	—	senar.	
Truc. 800	‖ erae meae ĕxtemplo dedit	5	"	—	—	—	sept. troch.	
Cas. 44	dat erae suae: ŏrat, ut eam curet ...	2	"	—	—	—	senar.	
506	quinque; hanc omnem rēm mĕae ĕraē iam faciam ...	3	—	ante brevem syll.	—	—	"	
Cist. 133	eam mĕae ĕgo ămicae dono huic meretrici dedi	1	—	"	—	—	"	
Stich. 92	quia ita mĕae ănĭmae salsura evenit ...	2	—	"	—	—	sept. troch.	
Amph. 1106	non metuo quin mĕaĕ ⋮ ūxori ‖	3	—	—	long.	—	"	hiatus!
Men. 740	domo suppilas tŭaĕ ⋮ ūxori ⋮ et tuae	3	—	—	"	—	senar.	hiatus!
Merc. 208	si ⋮ illam matri mĕaĕ ⋮ ēmisse ‖	3	—	—	"	—	sept. troch.	meae ⟨me⟩ suppl. Acidalius

Hae tabulae ex parte interpretatione indigere videntur, priusquam ad singulas partes comparandas accedere possimus. Incipiamus a substantivis in -a cadentibus. Ex his exemplis pleraque substantivum de praepositione pendens praebent, ut ibi de synaloepha vocis iambicae vix cogitari possit. Itaque ut in coniunctione ēx ăquā creticus eliditur, ita etiam in conformatione cŭ̆m ⁝ ăquā substantivum suo sono privatum ante thesin synaloephae subiectum invenitur. Versus Poen. 1353, in quo Camerarius *mina argenti* pro *minimam argenti* scripsit, codice Ambrosiano teste delendus est[1]. Quod editores eodem viro docto auctore in Mil. versu 488 tralaticiam lectionem *invitam* — sic A, ubi P facili errore invita — mutaverunt in *in via,* minime laudari potest: non enim est, cur ibi codicum lectionem reiciamus[2].

De adiectivis vix quicquam habeo, quod adiungam. Legitima synaloepha sive adiectiva a praepositione pendent sive non coniuncta sunt, fit ante arsin longam; una in compositione quae est bona ŏ̆pĕrā, mala ŏ̆pĕra attributionis proclisin observamus eaque ante arsin solutam deprehenditur. — Perraro imperativi eliduntur neque nisi ante arsin longam.

Sequuntur vocabula, quae in -e exitum habent. Primum pauca de dativo substantivi *fides* addam. Etsi in versibus Trin. 128 et 142 traditum est *fidei,* tamen ego hos versus in tabulas recepi, quod persuasum mihi est his in versibus dativum *fide* restituendum esse, quae forma in synaloepha invenitur in eiusdem fabulae versu 117 et in Persae versu 193, illa in fabula teste codice B, hac in comoedia teste Ambrosiano.

1) *mina* hoc in versu nonnisi pro ablativo accipi potest; sed cum haec vox in prima thesis bisyllabae sede elidatur, illa coniectura omni probabilitate caret.

2) plus difficultatis habet versus septenarius Truc. 561, qui in cantico legitur. Hoc loco Goetz et Schoell codd. B et C secuti sic scribunt:

nam iam de hoc obsonio de ‖ mĭ̆na ŭnā dĕminui modo
quinque nummos ...

Varias coniecturas afferre supersedeo. Equidem credo omnes coniecturas refellendas esse, quae verborum ordinem *de mina una deminui* turbant, cum poeta haec verba concinere certe voluerit; nam syllabae *de* et *min* per lusum iterantur; itaque traditam lectionem servamus, dum quis meliorem invenerit.

Accedit quod et genitivi et dativi forma iambica alibi haud raro occurrit[1]).

De ablativo V. declinationis nil habeo quod moneam: versum enim Truc. 907, ubi vox *die* tota synaloepha evanescit, corruptum duco; forsitan cum Muellero legi possit: numquam hŏdĭe ūnum opus efficiatur[2]).

Imperativorum ut ceterarum vocum legitima synaloepha est ante arsin et longam quidem; sola vox *habe* in solemni iunctura quae est hăbe ănĭmum bonum priorem sedem arsis solutae occupare solet: sic quoque scribendum est in Mil. versu 1357, ubi Palatini *habeo* exhibent.

Iam transeamus ad vocabula in -i exeuntia primumque de substantivis pauca statuamus. In genetivo sing. num. II. declinationis, quod gravissimum est, formas ultima contracta quales sunt: *preti, viti* sim. in synaloepha omnino frustra quaesivi. Eximitur porro etiam dativus vocis *res,* qui quidem postea plerumque pro iambo usurpatus in fabulis Plautinis semper monosyllabi instar adhibitus est. Ubi vero haec vox ante vocalem reperitur ut in Trin. versibus 119, 522, 865 sine ulla dubitatione dativi formam *re*[3]) accipere possumus, quod monosyllabum facile eliditur. Simili ratione nom. plur. *dei* nusquam iambicam mensuram praebet neque ita raro ante vocalem totus synaloepha obscuratur. Etiamsi *dei* scriptum est, *di* pronuntiatum esse videtur, quae forma in fabulis identidem occurrit. Hoc loco ex Poenulo eos versus affero, in quibus *dei* vel *di* ante vocalem exstat:

Poen. 289 íta me deĭ ⁝ ăment, ut illa me amet ||
504 íta me dĭ ⁝ ăment, tardo amico
659 tu seí te deĭ ⁝ ămant, age tuam rem: . . .
827 íta me dĭ ⁝ ăment vel in lautumiis ||

1) exempla affert Neue-Wagner I pag. 574.

2) C. F. Gu. Mueller pag. 297.

3) in Poen. versu 815 traditum est: quoi re operam dedimus. Alia exempla praebent Neue-Wagner I pag. 573. cf. quod Birt de hac re scripsit in Arch. f. lat. Lexikographie XV pag. 86: der Diphthong in *rei* und *fidei* kann elidiert werden und man sprach in diesen Fällen mutmaßlich *re* und *fide*.

Poen. 859 dei ȯmnēs deaeque ament — ...
917 íllic hinc abiit. dei ī̇mmortales ||
923 dei ī̇mmōrtales, quanta turba ||
967 pro dei ī̇mmortales, opsecro vostram fidem,

quo in versu proximo cod. A *dei* praebet, Palatini *dii,* — quae scriptura idem valet ac *di.*

Breviter etiam de voce *fui* disputandum erit. Cuius vocalem u cum iam Plauti temporibus brevem fuisse constet[1]), acuere dubito Rud. 1389 sic:

quándo ergo erga te benignus || fŭĭ ⁝ ắtque opera mea,

sed aut cum Guieto legere malim:

|| ⟨ĕgŏ⟩ fŭi ắtque opera mea

aut cum Birtio || fŭĭ quandoque opera mea. Mirum est, quod correptio iambica tribus in versibus trans synaloepham videtur efficax esse, qua re in Capt. versu 307 et Trin. 619 syllaba producta, in Trin. autem versu 1090 syllaba natura longa corripitur, quod perraro fit[2]). — In Capt. vero versu 1000 in omnibus fere codicibus scriptum invenitur:

ắtque ubi egō fŭi ĭn lắpĭcidinis ||,

quod falsum esse mihi persuasum est. Nam praeterquam quod sonus haud solemnis ĕgȯ fŭĭ displicet, *fui* hoc in versu primam thesis solutae sedem ante correptam syllabam *in* occupat, id quod exemplo caret. Itaque facillima mutatione versum eiusdem fabulae 956 secutus sic scribo:

ắtque ubi fŭi ĕgo īn lapicidinis ||.

Restat ut tabulas meas quae voces in -o excidentes offerunt paucis suppleam; nam de vocabulis in -u exeuntibus nil est, quod desideremus.

Ibi substantivum *erus* et in dativo et in ablativo haud ita raro indole sua iambica exuitur. A praepositione enim pendens bis ante thesin longam *ero* eliditur in versibus Asin. 251 et

---

1) litera u longa vox *fuimus* exstat in clausula versus Capt. 262, quacum comparetur Ennius ann. 377 V., ubi Lambinus *fuvimus* proposuit, et C. I. L. I. 1051.

2) in versu Capt. 310 melius mihi sic acui videtur:

lŏquĕre aūdacter ‡ tam ĕgŏ fŭi ắnte || ... *pro* tăm ⁝ ĕgŏ fŭi ăntĕ ||.

Poen. 396 post diaeresin. In dativo autem *ero* bis proclisin patitur, Poen. 589, Trin. 724[1]), idem in Pers. versu 247 enclisi ita obnoxium est, ut ad pronomen possessivum se applicet.

Inusitata est synaloepha vocis *ero* in Poen. versu 884, ubi legitur:

quid est quod metuas? ‡ dŭ̆m ⁝ ĕro īnsidias ‖ paritem;

neque enim hic enclisin neque proclisin videmus et tamen vocabulum ante thesin longam eliditur. Dicat quispiam hac in verborum collocatione ut in ceteris quoque exemplis supra allatis vocem iambicam collocatam esse post monosyllabum, quod si fiat, vocabulum iambicum etiam ante thesin facile elidere liceat. Sed ego metricae rationi soli tantam vim monosyllabi tribuere nolim; repugnat enim, quod tali in collocatione iambi semper fere cum antecedenti voce artiore nexu coniuncti usurpantur. Videmus igitur imprimis tales voces iambicas, quae in sermone cottidiano facile ad alias se applicare solebant, urgente necessitate a poeta etiam contra consuetudinem ita in versu positas esse, ut solae ac sine illo praesidio, ante thesin eliderentur. Nam cum praecipue ad monosyllabum vel bibreve vocabulum voces iambicae accrescere solerent, ut in eo quod est ă̆b ĕrō, mĕ̆o ĕrō sim., poeta etiam voculas iambicas quae carent eiusmodi substructione monosyllabum subsequi passus est ut in exemplo supra allato:

dŭ̆m ⁝ ĕro īnsidias ‖ .

Cetera exempla eiusdem generis hic pono:

Trin. 616 ŭ̆t ăgro ēvortat Lesbonicum
Merc. 532 ĭllĕ tĕ̆ ⁝ hŏmo ĭta edepol deperit ‖
Most. 639 pătrīssāt iă̆m ⁝ hŏmo īn mercatura
Merc. 228 fŭ̆i hŏmo ēxercitus.

Haec tria vel quinque exempla ad voces admodum usu detritas pertinent suntque perpauca pro tanta reliquorum exemplorum multitudine. Nam cetera vocis *homo* exempla ante thesin elisae omnia enclisi explanantur. Hactenus de substantivis.

---

1) pronomen *meo*, quod in codd. B C D E Z traditum est, delendum esse censeo, quod etiam tota voce *meo* elisa versus non stat; legendum est:

‖ quĭ̆ ⁝ ĕ̆ro ādvorsus venerit.

Iam de coniugationis formis nonnulla addenda sunt. In Mil. versu 352 scriptum extat:

A séd ego hoc quód ago id me agere oportet ||
B C ... quid ...

quod mihi depravatum videtur esse; nam hac in sententia demonstrativum repetitum offendit[1]). Itaque Ussingium virum doctum rectum vidisse arbitror, qui sic legi vult:

séd ego quíd ago? — id me agere oportet, || .

In Epidici porro versu 650 in cod. B legimus:

quid? ego modo huic frater factus, dum intro eo atque ea eo,

ubi in priore hemistichio cum Goetzio legendum erit: *sum huic*, ut diaeresin post vocem *factus* habeamus. Reliquum est alterum hemistichium:

dum intro eo atque exeo,

sic in fine sine dubio legendum est. Sed nondum versus stare videtur, quapropter varia temptaverunt viri docti. Forsitan nihil coniciendum sit, nisi hiatum post vocem *eo* horremus, ita ut acuatur:

dum intro ĕō ⋮ ātque exeo.

Eiusmodi hiatum eo minus abnuimus, quod exemplis admodum gravibus confirmatur, quae facile in Birtii de hiatu libro, pag. 335 sq., perlustrare possumus. Ceterum credo equidem in versus Trin. 818 altero pede pro *ĕo ĕgo ĭgĭtur intro* scribi oportere: *ĕgo ĕo ĭgĭtur intro,* quod Plautus ut ex tabulis apparet ante arsin ĕgo ĕō, in arsi autem ĕo ĕgŏ scribere solebat.

Sequitur versus Poen. 282:

deos quoque edepol ĕt ămo ēt mĕtuo || ,

ubi in voce *amo* ante thesin elidenda vereor ne de enclisi vera cogitari nequeat. Sed huic synaloephae eisdem de causis, quas supra pag. 59 attulimus, facile indulgemus. Haec omnia satis plana sunt.

Contra haud facilis est explicatio synaloephae, quam voces *scio* et *volo* compluribus in versibus ineunt. Invenimus enim haec versuum initia:

---

1) versus Asin. 527 vix cum versu de quo agitur comparari potest.

Capt. 71 scĭo ăbsūrde
Merc. 726 scĭo ĭnnŏxius es, quibus adiungendus est versus
Trin. 97 scĭo] ĕt si ălĭa.

Quibuscum conferendi sunt hi versus:

Aul. 563 vŏlo ĕgo ĕx te scire
Rud. 121 vŏlo ĕgo ĕx te
Truc. 148 vŏlo hăbēre
Cist. 82 hŏc vŏlo ăgātis.

In his igitur septem versibus vocabula *scio* et *volo* tota in thesi primi pedis posita sunt, id quod iambis veris in fabulis Plautinis nusquam accidit. Num quis ea de causa illa non iambica esse contendere audebit? Ego minus. Neque enim quin hae voces in interioribus versuum sedibus veris iambis adnumerandae sint, dubitari posse supra pag. 19 sq. demonstravi. Itaque censeo his duabus in voculis Plautum sibi licentiam quandam, praecipue in primo versus pede tolerabiliorem, indulsisse[1]). Nam quamquam in principio Cist. versus 363 voce *ego* omissa legitur:

volo ĕx te s⟨ci⟩re,

tamen eo procedere ut in versibus Aul. 563[2]) et Rud. 121, qui idem fere initium praebent, *ego* deleam dubito, quoniam poeta, ut tabulae docent, ipsa in voce *volo* adhibenda licentius egit: tum enim vŏlo ĕgŏ, tum ĕgŏ vŏlō, tum vŏlŏ solum posuit idque interdum ad merum arbitrium.

Absolutis iam vocibus, quae in vocalem simplicem exitum habent, pauca monenda sunt de eis, quae in dipthongum, id est in -ae excidunt; nam ceterarum, dum modo extant, nullum invenimus exemplum. De his autem vocabulis Leo in quaestionum Plautinarum capite VI. summa cum sagacitate disseruit. Atque etiam in iambis quos hic tractamus confirmatur lex, quam Leo statuit:

---

1) non me fugit in his exemplis vocem *scio* semper ante syllabam C. I. correptam exstare, sed ob eam causam, ut factum est, de synizesi cogitare ut *scio* pro monosyllabo evadat magnopere dubito.

2) Nonius quidem huius versus initium sic affert: vŏlŏ scīre ĕgo ĕx te; sed nos non habemus, quod auctoritati codicum diffidamus, cum Nonius semel atque iterum liberius versus citare soleat.

Der gen. sg. vermeidet die Synaloephe und gestattet den Hiat, oder vielmehr, er hebt ihn durch die zweisilbige Form auf, der nom. plur. geht Synaloephe ein und vermeidet den Hiat nicht; der dat. sg. steht in Synaloephe und flieht den Hiat.

Haec hactenus. —

Nunc transeamus ad pronomina, quae ea de causa ex congerie ceterorum verborum iambicorum exemi, quod propter prosodiam nimis inconstantem materiam parum aptam ad nostram de synaloepha quaestionem praebent. Nam praeterquam quod eiusmodi voces praeter ceteras ubique fere enclisin et proclisin patiuntur, synizesis, cui hae voculae ut in plebis sermone ita in versibus comicorum se subicere solebant, efficit, ut de synaloepha earum minus certe iudicare possimus. Quaeritur vero, quam late pateant fines synizesis: nam eam omnino statuere nos debere nunc inter omnes constat atque sat habeo hac in re ad Jachmanni commentationem te referre, qui nuper de hac re disseruit (pag. 43 sqq., quocum conferendum est, quod Leo in quaestionibus Plautinis [2] pag. 349 sq. affert)[1]). Quamquam vix credo nos umquam certas normas hac in re intricata statuere posse, tamen iis locis, quibus correptionem iambicam accipere nobis licet, synizesin missam faciendam esse censeo: sic totius vocis absorptionem (synizesin + elisionem) ne statuamus, vitare possumus. Itaque cum Skutschio[2]) consentiens correptionem trans synaloepham efficacem in syllabis et positu et natura longis accipio, quippe quae exemplis, in quibus synizesis vocis acutae omnino non fieri potest, satis comprobetur[3]).

Ut ad singula accedamus, elucet e tabulis pronomina in -a cadentia naturam iambicam melius servasse quam cetera: synaloepha enim in thesi rarius fit (Epid. 368, Bacch. 755, Aul. 267, Men. 482). In versu autem Merc. 89: ı̆psĕ sua ădnumerat manu vocis *sua* litteram u pro consonante pronuntiatam esse

1) vide porro editionem Terenti Phormionis a Dziatzkone-Hauleroque curatam. L.[4] 1913 pag. 64 sq.

2) F. Skutsch, Satura Viadrina pag. 125 idemque *ΓΕΡΑC* pag. 111.

3) *quoi* et *ei,* quae vocabula apud Plautum plerumque synizesi obnoxia monosyllaba esse solent, elidere opus nusquam est.

verisimile est[1]); Aul. 267: ĕa ăffīnitatem metiri licet. Contra vocabula in -o cadentia etsi imprimis ante thesin eliduntur, tamen semper fere de praepositione pendent. In versibus autem Mil. 136 et 262 equidem u consonantem praeferam, ut *svhōspiti* et *svắlĭquem* pronuntietur, quae pronuntiatio etiam in versu Asin. 147 commendanda est, etsi ibi etiam ut tŭo ĭmpĕ̈rĭo C. I. adhibita legatur fieri potest. Hac altera quam dixi ratione certe in Bacch. versu 298 legi oportet: sḗnsi ĕo ĕxắnĭmatus fui. Mira vero est frequentia hiatuum, quae mihi modum excedere videtur, in pronominibus in -i exeuntibus. Haec res fortasse sic explicari potest: cum vocalis i iam Plauti temporibus prae ceteris cum antecedenti vocali imprimis in illis brevibus bisyllabis coalescere soleret, hae voces monosyllabi instar usurpatae propterea que facile in hiatu positae sunt[2]). Synizesin vero in dativis *ei* et *quoi* legitimam esse omnes consentiunt.

Cum antea in vocibus iambicis in -ae cadentibus legem a Leone statutam valere cognoverimus, haec tamen lex migrata videtur pronominibus in -ae exeuntibus. Ut a genitivo incipiam, quo in casu hiatum exspectamus, difficultas quaedam occurrit in Mil. versu 645, in quo codd. exhibent:

commemini[t]: ḗt meae ōrắtionis ‖.

Birtio autem suadente hoc loco illud *meae* exstirpari et sic legi potest:

commemini: ḗt me ōrắtionis ‖;

at in eiusdem fabulae versu 883, ubi Gulielmius legendum proposuit

‖ tŭaĕ ⁞ ṓram orationis

hiatus melius habet, sive pyrrhichium *tuae* sive *tvae* monosyllabum statuimus. Aliter res sese habet in versu Epid. 563, cuius in principio scriptum extat:

dŏ̈mĭ mĕae ḗccam salvam et sanam,

---

1) nisi legere malumus:

ĭ̈psĕ sŭa ădnumerat manu.

2) mirum est, quod imprimis ante a vocalem hiatus invenitur. De hac re conferendum est, quod Birt in commentatione: Der Hiat bei Plautus pag. 346 sqq. exposuit.

ubi Leo suasit ut acueretur:

dŏmĭ meăe ⁝ ėccam . . .,

vix recte. Nam hic locativus est, cuius terminatio certe aliter habet atque genetivorum, itaque normam a Leone de genetivo cuius i littera longa erat propositam ni fallor a locativo servari opus non est.

Cum in dativo synaloepha admitti soleat, haec lex non servata videtur esse in his dativis cum hiatu positis:

Amph. 1106 nón metuo, quin mĕaĕ ⁝ ūxṑri ||

Men. 740 domo suppilas tŭaĕ ⁝ ūxṑri ⁝ et tuae[1]);

in Merc. versu 208 *me* ab Acidalio interposito omnia complanata videntur esse.

Singularia haec postquam pertractata sunt totius quaestionis conclusionem facere possumus. Totam enim illam copiam vocum iambicarum aut in vocalem aut in dipthongum cadentium cum respicimus, apparet Lachmannum errasse dicentem vocabulum iambicum in vocalem desinens ante longam syllabam acutam non poni nisi cum hiatu et ante brevem etiam Plautum hiatui favere neque vero Spengelii opinionem probari posse, qui vir docuit voces iambicas in arsi ante vocalem in hiatu poni solere. Immo vero, primo obtutu cognoscimus in fabulis Plautinis voces iambicas sine ulla dubitatione elidi. Sed accuratius inspicientes sic restingemus iudicium ut poetam his in voculis elidendis rationes quasdam normasque observasse dicamus.

Cum synaloepha e commoditate quadam sermonis cottidiani nata sit, primum verba minus gravia, quae cottidie sescenties adhibebantur, elisa esse consentaneum est, praeterea solemnes verborum compositiones nexusque prae ceteris apta erant, quae synaloepham admitterent. Haec elisio eo facilius fieri potuit, quo magis insequens syllaba acuebatur. Qua quantitate antecedens vocalis esset, minoris momenti fuisse videtur, etiamsi brevis exitus facilius synaloepham passus est; atque cum in

1) illa pars fabulae, de qua agitur, versibus hiantibus abundat.

vocibus quibusdam iambicis saepissime usurpatis quantitas alterius syllabae vi accentus exspiratorii minueretur, ne hae quidem voces elisiones repudiabant. Unde fit, ut in fabulis Plautinis, quamvis multi iambi elisi occurrant, tamen non omnia verborum genera sine discrimine synaloepham subeant. Nec minus nimirum respicienda est vocalium exeuntium natura et color. Nam voces in -â et -u cadentes rarissime eliduntur, multo plus dimidium omnium vocabulorum iambicorum, quae in synaloepha stant, in -o cadunt: quod vero vocum in -u terminantium numerus tam parvus est, quadamtenus paucitate talium verborum explanatur.

Iam ut genera verborum distinguamus, substantiva pauca synaloephae obnoxia sunt, atque quam maxime premendum est nonnisi ea substantiva quae saepissime usus ferebat ut *ero, modo, homo* crebrius elidi. Ex adiectivis sola *bonus* et *malus* si in -a vel -i vel -o exeunt frequentius in synaloepha deprehenduntur, ex ceteris autem nonnisi *sacra, probi, probo* et III. decl. solus dativus *pari*, et hic quidem semel, eliduntur, cum alii iambi ut *pia, pigra, levi, gravi* sim. omnino desint. Longe frequentissime verba finita synaloepham patiuntur, dico formas 1. prs. praesentis temporis, sed ex his quoque non nisi tritissimas; desunt enim exempli gratia: *bibo, paro, queo;* praeterea *tuli, capi, rapi, agi, coli, geri, queri* elisionem plane declinant.

Itaque ex hac quoque re, quod ne unum quidem rariorum vocabulorum in synaloepha occurrit, aut fallor aut satis elucet originem synaloephae ex usu sermonis cottidiani esse repetendam.

Haec hactenus. Longe autem usitatissima est elisio vocis iambicae ante arsin eamque longa syllaba effectam, cum ante brevem minus saepe elidi soleat; quod genus synaloephae si singula comparamus numeris sic significari potest: si ante arsin longam quater fit ut vox iambica elidatur, ante arsin brevem id semel accidit[1]).

Multo rarius deprehenditur vocabulorum iambicorum synaloepha in arsi ipsa, ita ut prior vocis iambicae syllaba priorem arsis solutae sedem occupet: nam nonnisi in primo pede sep-

---

1) ad hos numeros statuendos pronomina semper omisi.

tenariorum trochaicorum eius generis synaloepha paulo crebrius observatur. Apparet talibus in elisionibus vocabulum quod eliditur semper correptione iambica correptum esse, cum priore syllaba acuta fieri non possit, ut altera vocis iambicae syllaba producatur. Huc accedit, quod identidem correptionem iambicam etiam trans synaloepham valere statuendum est ut in compositionibus dắri ĭstanc, nĕgo ĭnquam, ĕro ŭni sim. Quod ut verum est, ita tamen etiam ante arsin vel longam vel brevem voces iambicas priusquam elidantur corripi certis argumentis vix quisquam confirmare poterit.

Contra cavebat poeta subtilior, ne voces iambicas ita in versu ante vocales collocaret, ut earum priores syllabae aut arsis solutae alteram sedem aut thesis solutae priorem locum occuparent, quae synaloepha in pyrrhichiis prorsus non evitatur[1]). Quibus locis haec norma quam dixi neglecta videtur, ibi voces iambicae aut enclisi aut proclisi obnoxiae naturam mutarunt; perpauci extant loci, quibus vocabula iambica elisa deficiente enclisi aut proclisi prorsus pyrrhichiaca aequant, eaque, praesertim cum nonnisi voculae admodum vulgatae ut *scio* et *volo* sim. huc pertineant, in exceptiones referre non dubito; quae eo facilius tolerantur, quod semper fere in primo pede inveniuntur.

Iam ut singulos versuum pedes perlustremus, voces iambicae omnibus fere locis pari modo synaloepham ineunt. Ne septimus quidem pes septenariorum trochaicorum, qui respondet sexto senarii iambici, eximi videtur; cf. Asin. 537/8, Merc. 155/6,

1) en habes exempla:
Merc. 510 bona si esse veis, *bĕne* ĕrĭ̇t tibi ||
„ 71 *tĭbi* ărā̇s, tibi occas, tibi seris, *tĭbi* ĭtē̇m metes
Most. 930 cū̇rriculo *iŭbe* ĭn ū̇rbem veniat ||
Epid. 664 nō̇n fugio *dŏmi* ădē̇sse certumst ||
Stich. 752 dắtĕ mihi lŏ̇cum *ŭbi* āccū̇mbam
Mil. 178 mē̇ periisse ‡ *ŭbi* ăbiī̇t, conclamo: heus ||
Men. 536 istū̇c *ŭbi* ĭllae ā̇rmillae sunt ...
Mil. 219 vĭ̇dĕn hostis *tĭbi* ădē̇sse tuoque ||
„ 288 ā̇tque *ĕgo* ĭlli ā̇spicio osculantem ||
„ 568 nunc hō̇c *mĭhi* ĭgnō̇scas quaeso ||
„ 952 cō̇ndicio *nŏva* ĕt lū̇culenta ||
Truc. 801 quoī̇, *mălum*, ĕraē̇?
sim. alia.

Men. 250. Sed commemorandum est his tribus locis semper interiectiones esse quae post personarum mutationes vocalem excipiunt, qua ex re concludi potest tales interiectiones saepe extra metrum positas esse. Simili ratione etiam quartus pes in septenariis trochaicis, quocum in senariis tertius congruit, semper purus extat. Et ex hac quoque re patet, quod aliunde constat, poetas et plenorum versuum et coli prioris septenariorum clausulas puras esse voluisse, nec minus cavebant poetae, ne in senariis ante caesuram semiquinariam synaloepha vocum iambicarum fieret. Versus autem senarius Pseud. 823

quam hasce herbas hŭiŭs mŏdi ĭn suom alvum . . .,

in quo ante tertiam arsin illud *modi* eliditur, quod deest caesura, vituperandus est. Contra nil repugnabat, quo minus post caesuram in tertia arsi soluta vox iambica elideretur quod factum est Stich. 185 et Most. 754. Denique si singulos pedes versuum, septenariorum trochaicorum et senariorum iambicorum, inter se comparamus, haec synaloepharum frequentia pronominibus omissis omnino observari potest:

SENARIVS	pes	I			II			III			IV			V			VI		
		ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in
		long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi
		42	6	—	25	8	1	1	—	2	49	8	2	1?	—	—	1	—	—

SEPTENARIVS	I			II			III			IV			V			VI			VII		
	ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in	ante arsin		in
	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi	long.	brev.	arsi
	51	14	34	19	7	7	22	14	4	—	—	—	56	14	10	4	1	9	2	—	—

Superest ut quaeramus quid statuendam sit de hiatu, quem post vocabula iambica legitimum fuisse Lachmann aliique censebant. Omnes locos ubi hiat metrum secundum pedum ordinem hic ponere mihi liceat omissis quidem iis versibus septenariis iambicis, in quibus vox iambica ante diaeresin post quartum pedem interiectam posita est.

In senariorum pedibus:

1. Aul. 5 patrī ⁞ ăvōque . . .
Capt. 10 patrī ⁞ hŭiŭsce . . .

2. }
3. } exempla non inveni[1])

4. Amph. 141 et servos, quoius ego hanc ferō ⁞ ĭmăginem
Cist. 753 istic quidem edepol mei virī ⁞ hăbĭtăt gener
Poen. 191 Aphrodisia hodie sunt ‡ sciō ‡ ⁞ ŏcŭlōs modo
„ 120 is illi Poeno huius pătrī ⁞ hospĕs fuit
„ 432 neque quantum aquaist īn mărī ‡ ăbĭtūrun es?
„ 497 certum ‡ tum tu igitur dĭē bŏnō ⁞ Ăphrŏdīsiis
Rud. 183 si apud me essurus es, mĭhĭ dărī ⁞ ŏpĕrăm volo

Rud. 818 et ubi ille servos cŭm ĕrŏ ⁞ hŭc advenerit

5. Epid. 306 nullum esse opinor ego ⁞ ăgrum ĭn ăgrŏ ⁞ Ăttico

6. exempla desunt.

In septenariorum trochaicorum pedibus:

1. Bacch. 51 dŭăe ⁞ ūnum expetitis palumbem ||
Pseud. 1202 ĕrĭ ⁞ ĭmăgine obsignatam ||

2. Amph. 294 īllĭc hŏmō ⁞ hōc denuo volt ||
„ 347 hŭc eō ⁞ ĕrī sum servos || [2])
Capt. 476 quam īn trĭbŭ ⁞ ăperto capite ||
Cas. 802 ăt ĕgo ămō ⁞ ‡ ăt ĕgo hercle nihili ||
Men. 1087 īllĭc hŏmō ⁞ aŭt sycophanta aut ||

---

1) versus corruptus Trin. 1108, ubi Leo legi vult:

nil est moraĕ ⁞ ii ămbula

melius cum Ritschelio sic legitur:

nil est morae, cĭto ămbula —;

traditum autem est: moracii vel moratii.

2) hoc in hemistichio aliquid intercidisse videtur, cum interrogationi tripertitae non satis fiat. Itaque Leo *eri* ⟨*iussu eius*⟩, Birt ⟨*hoc volo*⟩ *eri* suppleverunt.

	Merc.	930	nōn sĭnō ⁝ ‡ ĕgŏ me moror
	Most.	392	ŭbi ĕgo ĕrō ‡ ŭbĭ maxume esse ‖
	Pers.	648	quŏiŭs mŏdī ⁝ ĭs in populo habitust ‖
	Truc.	899	mălĕ vŏlō ⁝ ‡ ĕgŏ mea voluptas ‖
	Rud.	1069	quō mŏdō ⁝ hăbĕas id refert ‖
fort.	Truc.	957	quĭd dĕdī ⁝ ŭt † distinxi ...[1])
3.	Bacch.	530	reddidi patrī ⁝ ōmne aurum ‖
	Cas.	1000	sed uxor da virō ⁝ hānc veniam ‖
	Pseud.	317	aut terra aut marī ⁝ ălĭquonde
4.	exempla non extant.		
5.	Amph.	622	‖ ĕrī ⁝ īmperia persequi
	Men.	690	‖ tĭbi hăbĕ ⁝ aŭfĕr, utere
6.	Merc.	490	‖ īllam ĕmī ⁝ ‡ aūctarium
	Pers.	835	‖ sīs mălō ⁝ ēt sequere me
	Poen.	903	‖ mĕŏque ĕrō ⁝ ĕum hĭc vendidit
	Epid.	650	‖ dum intro eō ⁝ ātque exeo
7.	exempla desiderantur.		

Ceterorum autem versuum in pedibus:

1.	Asin.	592	valē ⁝ ‡ ălĭquanto amplius ‖
2.	Asin.	631	quĭa ĕgo hānc ămō ⁝ ēt haec me amat ‖
	Curc.	497	ălĭēnos mănŭ ⁝ ⟨ē⟩mittitis ‖
	Poen.	1246	quŏquĕ mŏdŏ ⁝ hŭiŭs filias ‖
	Amph.	193	praēda ātque ăgrō ⁝ ădoriaque ‖
3.—5.	exempla non inveniuntur.		
6.	Bacch.	941	‖ hōc ĭn ĕquō ⁝ īnsūnt milites
	Asin.	463	‖ dūm quĭdem ĭpse īn mănŭ ⁝ hăbēbo.

Fortasse Pius recte in versu Rud. 1307 ubi traditur „mari et alii" mărī ⁝ ⟨ēlāvī⟩ correxit.

---

1) ad versum Trin. 676, quem Dousa Camerario duce correxit, sat habeo de Leonis lege monere.

Quae exempla si comparamus elucet imprimis tribus locis hiatum inveniri, id quod vix casui potest tribui. Loci autem sunt in senariis quarta arsis, quae in septenariis trochaicis respondet sextae arsi, nec non in septenariis secunda arsis post primum creticum. Cum vero his ipsis locis haud ita raro exempla inveniantur vocum, quae brevem syllabam productam praebere videntur, Jacobsohn in commentatione supra saepius laudata recte mea quidem opinione conclusit his locis diaeresin fieri[1]), ut de vero hiatu ne his quidem in exemplis cogitari possit. Constat tamen hanc explicandi rationem minime sufficere; ceteris enim duodeviginti locis, quibus hiatum invenimus, nil habemus, quo eum aut removeamus aut excusemus, nisi quis in Asin. 592 et Poen. 376 personarum mutatione tolli hiatum dixerit. Itaque de tota hac quaestione impeditissima delego ad Birtii librum Der Hiat bei Plautus inscriptum, ubi et plurima exempla collecta sunt et prisci ac rustici sermonis hiatum proprium fuisse exponitur[2]).

Id quidem demonstrasse mihi videor iam Plautum, quamquam prorsus non ab omni vocum iambicarum synaloepha ut Lachmann censebat abstinuit, tamen cavisse, ne tales voces sine ullo discrimine elideret. Quae continentia apud poetas serioris aetatis paulatim usque eo augebatur, ut postremo omnem eiusmodi synaloepham de industria evitarent. — Haec ego nec plura in praesens de verborum iambicorum synaloepha proferre potui.

---

1) exempla vide l. c. pag. 5 sqq.

2) De legibus hiatus in versu Saturnio admissi vide Bergfeldi De versu Saturnio dissertationem § 67 sqq., quem doctissimum iuvenem qui nuper sanctam pro patria mortem subiit deflemus.

VITA.

Natus sum Guilelmus Lieben Berolini a. d. X. Kal. Febr. a. MDCCCLXXXV patre Guilelmo matre Paulina e gente Schmidt, quos parentes adhuc superstites esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis elementis in scholis duabus publicis patriae urbis imbutus circa Pascham a. MDCCCXCVII gymnasium Leucophaeum Berolinense adii, quae celeberrima schola tum Ludovico Bellermann, viro et doctissimo et humanissimo, directore admodum florebat. Testimonium maturitatis vere anni MCMVI adeptus in cives academicos universitatis Frederici Guilelmi Berolinensis receptus sum, ut litteris et antiquis et germanicis operam navarem. Tertio semestri nondum exacto gravissimum in morbum incidi, quo studia longo intervallo intermittere coactus sum. Valetudine quodammodo restituta munere publico in patria urbe per quadriennium functus sum, quo in officio mihi contigisse, ut aliquamdiu bibliothecae publicae administrandae interessem, semper grato animo recordabor. Autumno anni MCMXII humanitate et cura amicorum locupletium facultas mihi data est, ut studia redintegrarem et absolverem, Marpurgum autem Chattorum me contuli, qua in universitate adhuc versor.

Docuerunt me praeter ceteros viri doctissimi:

Berolinenses: Diels, Helm, Norden, Gu. Schulze, † Vahlen, Wentzel, v. Wilamowitz. — Baesecke, Geyger, Hermann, † R. M. Meyer, Roethe, † E. Schmidt. — Lasson, † Münch, Stumpf. — Fleischer, Friedländer, Harnack, Hintze, Preuner.

Marpurgenses: Birt, Bornhäuser, Elster, Hartmann, Heitmüller, Jachmann, Jacobsthal, Jenner, Jülicher, Kalbfleisch, Maaß, Mewaldt, Misch, Natorp, Thiele, Vogt, Wrede.

Proseminarii exercitationibus ut interessem benigne concesserunt professores Berolinenses: Diels, Norden, Wilamowitz; Roethe. Marpurgenses: Kalbfleisch; Vogt, Elster. Seminarii philologorum Marpurgensis sodalis fui Birtio, Maassio, Mewaldtio directoribus per ter sex menses, per unum senior. Praeterea ad exercitationes archaeologicas, papyrologicas, metricas me admiserunt Jacobsthal, Kalbfleisch, Thiele. Omnibus praeceptoribus meis gratias ago quam maximas, imprimis vero Theodoro Birt, viro ingeniosissimo, qui ad hanc quaestionem tractandam me invitavit crebroque consilio comiter me iuvit.